



## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de  
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non  
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. III. Rationes Theologicæ expenduntur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

Atqui infantes eam nunquam habuerunt, cum peccatum originale non sit eis voluntarium voluntate propria, sed tantum aliena: Ergo non ardebunt in inferno.

Ex his sanctorum Patrum testimoniis, & unanimiter Theologorum Scholasticorum consensu, hoc argumentum efficax in favorem nostrae sententiae potest deduci. Damnatio infantium ad ignem aeternum, tam repugnans videtur clementiae Dei, & rationi, ut non sit asserenda, nisi evidenter ex divina traditione habeatur: Sed nullam fuisse talem traditionem manifeste ostendunt testimonia Innocentii III. Eugenii IV. Nazianzeni, Nisseni, Chrysostomi, & Bernardi jam adducta, nec non unanimes ferè consensus Theologorum Scholasticorum, qui à quingentis circiter annis scripserunt: Ergo &c.

## §. III.

*Rationes Theologicae expenduntur.*

NON desunt etiam rationes Theologicae, quibus nostrae conclusionis veritas suadetur. Prima & praecipua, quam D. Thomas loci citatis insinuat, potest sic proponi. Poena debet proportionari culpa: Sed poena sensus non est proportionata culpa originali: Ergo culpa originalis non punitur poena sensus. Major patet, Minor probatur primò: quia poena sensus contingit per passionem hujus particularis personae; peccatum autem originale non est per voluntatem personae, sed per voluntatem naturae: Atqui puniri per passionem personalem, non est proportionatum cum hoc quod est peccasse voluntate naturae, & non personae: Ergo poena sensus non est proportionata culpa originali.

Secundo, Poena sensus correspondet peccato secundum conversionem ad bonum commutabile; licet enim talis poena etiam aversioni in peccato personali reperta debeatur, hoc tamen provenit ex eo quod talis aversio non est pura aversio, sed aliquid conversionis participat, quia est voluntaria per actum propriae voluntatis, & ratione hujus participationis debetur illi poena sensus: Sed in peccato originali non est conversio ad bonum commutabile etiam per participationem, cum tale peccatum non sit voluntarium per actum propriae voluntatis, sed solum per voluntatem capitis: Ergo poena sensus non est proportionata culpa originali.

Probatur tertio: Poena sensus correspondet culpa pro delectatione quam causat, juxta illud Apocal. 18. *Quantum glorificat se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*: Sed in culpa originali nulla delectatio invenitur: Ergo poena sensus non respondet originali peccato, nec habet proportionem cum illo.

Secunda ratio asseritur è D. Thoma qu. 5. de malo art. 2. ubi sic dicitur. Ad ea quae sunt naturae suae propria unaquaque persona per se ipsam immediate ordinatur, non vero ad ea quae sunt supra ejus naturam, unde nihil est absurdum, si aliquis patiatur detrimentum in his quae sunt supra naturam, propter peccatum quod non commisit; sed non esset justum quod illud pateretur in his quae sunt naturae suae propria, propter peccatum alterius: Atqui gratia & visio Dei sunt supra naturam humanam; bona autem dispositio & habitudo naturae est

aliquid ipsi proprium, & connaturaliter debitum: Ergo licet justum & rationale sit, posteros Adae privari gratia & visione beatifica in poenam originalis peccati, quamvis non sit propria cujusque voluntate commissum; injustum tamen & irrationabile videtur, eos combustione ignis aeterni, quae integritati naturae, & bonae ejus habitudini opponitur, propter illud peccatum puniri.

Tertia ratio: illa culpa quae non reddit vituperito & increpatione dignum, à fortiori non reddit dignum poena aliqua sensibili & positiva; cum haec acerbior & durior sit: Sed per originale peccatum nemo fit dignus reprehensione & vituperio: Ergo nec poena sensibili & positiva, seu cruciati ignis aeterni. Major patet: Minor probatur ex Augustino lib. de duabus animabus cap. 11. ubi aperte docet, eum qui non fecit quod facere non poterat, non esse reprehensione ulla dignum, & subdit hoc ita esse cuilibet notum & pervium, *ut illud decantent & in montibus pastores, & in theatris poetae, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magistri in scholis, & Antistes in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum*: At infantes ita contraxerunt peccatum originale, ut non potuerint non contrahere: Ergo ex Augustino nullam increpationem & reprehensionem sunt digni. Unde inauditum est in Ecclesia, quemquam argui quod nascendo contraxerit peccatum originale.

Quarta ratio: Ecclesia in imponenda poena peccatis debita, imitatur ordinem & modum praescriptum à divina justitia in punitione delictorum: Sed Ecclesia nullam poenam positivam imponit pro peccato originali; Ergo nec divina justitia ullam sensibilem poenam pro tali peccato taxavit.

## §. IV.

*Praecipuae objectiones solvuntur.*

OBICIUNT in primis Adversarii: Parvulis in extremo judicio dicitur illud Matth. 25. *Ite maledicti in ignem aeternum*: Sed nomine ignis poena sensus intelligitur: Ergo illam parvuli sustinebunt.

Confirmatur primò: Apocal. 20. dicitur: *Vidi Thronum magnum & candidum, & sedentem super eum; & vidi mortuos magnos & pusillos, stantes in conspectu throni, & libri aperti sunt, & apertus est liber vitae, & qui non est inventus in illo, missus est in stagnum ignis*. Sed parvulus non baptizatus non reperitur in libro vitae: Ergo mittitur in stagnum ignis.

Confirmatur secundo: Matth. 15. Qui non congregantur in horreum ut triticum, id est non admittuntur in caelum, sunt zizania comburenda igne: Sed parvuli non baptizati non admittuntur in caelum: Ergo igne inferni comburantur.

Confirmatur tertio: Parvuli ratione peccati originalis dicuntur in Scriptura *filii irae*: Sed ira Dei, cum sit tantum metaphórica & per effectum, nihil est aliud quam inflictio poenae; non quidem damni, cum sit mera privatio, ideoque proprie non infligatur; sed poenae sensus, quae cum sit positivus aliquis cruciatus, proprie & per se infligitur: Ergo parvuli ratione peccati originalis poena sensus puniuntur.

Ad objectionem respondeo cum D. Thoma in 4. dist. 47. qu. 1. art. 3. ad 3. quod *Pueri ante per-*